1614 34-6-C-13 92 9

IOANNIS CAMILLI ZACCAGNII ROMANI ORATIO DE LAVDIBVS, ATQVE ORIGINE LITERARVM,

Ad Romanam iuuentutem in Templo S. Euſtachij, ab eodem habita XV. Kal. Octobris, in ipſa ſtudiorum renouatione.

AD ILLVSTRISS. PRINCIPEM SCIPIONEM BVRGHESIVM S. R. E. CARD. AMPLISS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, Ex Typographia Iacobi Maſcardi. MDCXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P.M. Sacri Palatij Apoſtolici.

Cæſar Fidelis Viceſg.

Imprimatur

Fr. Gregorius Donatus Rom. Lector, & ſocius Reuerendiſſimi P. F. Hyacinthi Petronij Romani Sac. Pal. Apoſt. Mag. Ord. Præd.

ILLVSTRISS. PRINCIPI

SCIPIONI BVRGHESIO
ROMANO
PAVLI V· PONT· OPT· MAX·
SORORIS FILIO
S. R. E. CARD. AMPLISS.

IOANNES CAMILLVS ZACCAGNIVS ROMANVS F.

IVLIVS BENIGNVS (ILLVSTRISSIME PRINCEPS) vir (vt leuiſſime dicam) non ſolum vitæ moribus integerrimus, ſed etiam ipſa Iuriſprudentiæ nobilitate clariſsimus, literarum ſtudiorumq. præfectus imperio, perorandi coram ſapientiſsimis illis Romanæ Sapientiæ Patribus, anniuerſariam mihi prouinciam, hoc anno demandauit. Id ego (quando tanta Patrum dignitas à me requirebat) quò grauius efficerem, de ipſa literarum præſtantia atque antiquitate dicturus, nihil prius habui, quam vt antiqua tum ſacrarum, tum ethnicarum rerum monumenta reuoluerem, temporum ſeriem ordinemq. relegerem, res denique à me pertractandas ordine perſpicuo digeſtas, oratorio plane modo concluderem. Hanc igitur orationem meam (CARD. AMPLISS.) quam ad in-

flammandam erga literas Romanam iuuentutem iuuenis ipſe ſuperioribus diebus habui, tui nominis amplitudini, eo conſilio nunc potiſsimum conſecro, vt maieſtatis tuæ patrocinio munita, tenebras ſuas admirabili purpuræ tuæ ſplendore diſijciat, & rem plane gratiſsimam Iulio faciam, qui ingentibus à te beneficijs auctus, locupletatus honoribus, ornamentis inſignitus eximijs, quidquid habet, ex iſto BVRGHESIAE liberalitatis fonte, in ſe deriuatum agnoſcit. Excipe tù interim Principum glorioſiſſime, ea, quâ non ſolum omnium oculos allicis, ſed animos quoque rapis, humanitate munuſculum hoc, ſeu potius primum cultus erga te mei tributum ingenuum; & depoſita tantiſper maieſtate, has qualeſcunque literulas meas (quando vox vna omnium hominum hæc eſt, vt ſis ſicut omnium felicitate maximus, ita morum comitate facillimus) ingenij mei florentes veluti primitias agnoſce, vberiores eiuſdem fructus, matura plane fruge tempeſtiuè percepturus. Vale.

IOANNIS CAMILLI ZACCAGNII ROMANI De laudibus atque origine literarum.

ORATIO.

NESCIO quâ tandem ratione factum ſit Patres ornatiſſimi, vt cum ſuperioribus annis locum hunc ad dicendum ampliſsimum, conſcenderint viri omni doctrinarum genere præſtantiſſimi, hodierna luce, in tam ſplendido literatorum conſeſſu, ego quoque nonnulla de literarum dignitate ieiune dicturus,eundem obtinuerim,qui cum illis neque ſim ingenio, neque doctrinæ, neque ætate, neque vllo rerum experimento conferendus. Nimirum, nunc demum intelligo, Patres optimi, quanta in omnes veſtra ſit humanitas,quantus literarum amor veſtris animis inditus, quam grata veſtris auribus accidat, vel infantis oratoris eloquentia. Nam, cum doctrinarum omnium lumine, ingenia veſtra glorioſe præfulgeant, hoc vno cæteris etiam præſtantiores vos eſtis, quod aliorum de ipſius ſapientiæ laudibus, obſcuris verborum tenebris quaſi nubeculis adumbratam orationem non contemnitis. Id quod maxime, publico audientiæ teſtimonio in præſentia confirmatis, dum me de rebus omnium grauiſsimis tenuiſsime diſſerentem, perhumaniter excipitis. Faciam igitur vt ſe dabit ingenium, tantamq. ac tam effuſam erga me benignitatem veſtram, conatu ſaltem,& voluntate prolixa quantum potero, compenſabo. Et quoniam ad auguſtiſsimum hoc ingeniorum theatrum, aureamq. ſapientiæ lucem, ex obſcuris illis ſtudiorum meorum latebris, veſtro Patres euocatus imperio, anniuerſariam hanc literarum laudationem repetere neceſſe habeo, ſatis mihi feciſſe loci huius dignitati videbor, ſi dum vobis, hoc eſt virtuti, ingenioli mei tributum exoluo, literarum quoque præſtantiam oratione complectar. Dicam igitur veſtris auſpicijs de literarum origine,deque illarum deinceps relecto temporum ordine,propagatione, atque apud gentes vniuerſas, incredibili erga liberales artes obſeruantia: vt quando diem hunc diſciplinarum præconio decreuiſtis, eam ego literarum vobis imaginem leuiter adumbrem, quam vos feliciter exprimitis. Etenim ego dum literarum præſtantiam, originem, ac maieſtatem oratione vobis exponam, eas ſimul à non nullorum iniuria vindicabo, qui

eo potiſsimum nomine minus addiſcendas exiſtimant, quod non ad animorum cultum & ornamentum, ſed ad egeſtatis atque inopiæ leuamentum, tanquam res plane nouæ, aduentitiæ, atque ex vltimis terrarum finibus accerſitæ fruſtra compararentur. Quibus ego, quam falsò de literarum dignitate dijudicent, quam de glorioſo illarum nomine perperam & immerito ſentiant, quam virtutibus ipſis inimici ſint, apertiſsime demonſtrabo. Sed antequam de illarum laudibus dicere aggrediar, liceat mihi, vos iuuenes (quando literarum eſtis amantiſſimi) ijſdem plane verſibus affari, quibus Orpheus ille Deorum interpres antiquiſſimus, viros virtutum cultores eximios affatur:

Vos qui virtutem colitis, vos ad mea tantum
Dicta, aures adhibete, animosq. intendite veſtros.

Ac primo quidem literarum vobis excellentiam explicaturus, omnium plane ſapientiſſimorum hominum ſententiam, rationum mearum veluti ducem omnino conſtituam, quò mea grauior à vobis exiſtimetur oratio. Etenim (vt illi doctiſsime ſentiunt) duo ſunt capita & quaſi fontes, è quibus tota cuiuſcunque rei laus copioſe deducitur, *Antiquitas, & conditoris honor ac dignitas*. Quæ quidem in literas haſce noſtras, quarum laudes oratione celebrandas explicandasq. ſumpſimus, ita conueniunt; vt ijs, nihil vel diuturnitate temporum habeatur antiquius, vel fundatoris authorisq. præſtantia diuinius. Nam cum ſummus ille rerum opifex ac procreator Deus, primum humani generis parentem, ſuæ veluti potentiæ miraculum, è nullis rerum initijs excitaſſet (vt qui ſapientiæ fons erat vberrimus) eiuſdem naturam, non ſolum præter cæteras appetentem gloriæ, ſed etiam veri adipiſcendi longe fecit auidiſsimam. Sic prorſus Aud. vt Philoſophorum Sapientiſſimus Ariſtoteles, inſitum nobis à natura diſciplinarum amorem, haud immerito pronunciauerit. Quamobrem vt tantam tam nobilium animorum famem, exquiſito aliquo pabulo ſuſtentaret, primam illam parentibus noſtris philoſophiam tradidit, quâ nimirum Aud. dum conditoris ſui diuinam plane potentiam aſſequerentur, nullus ijſdem ſuauior cibus, ipſa veritatis cognitione contingeret. Quò factum eſt, vt quæ deinde noſtri ſanguinis principes, ſua tum induſtria, tum labore, literarum incrementa propagarunt, & vnum authorem Deum, quò nihil poteſt cogitari ac fingi præſtantius, habuerint, & cum ipſa poſſint hominum natura, de temporis antiquitate contendere. Vt igitur quæ cum primis illis hominibus, & natæ, & educatæ ſunt literæ, quâ tandem ratione cum ijſdem vniuerſum pene terrarum orbem peragrauerint, & quaſi peregrinatione ſuſcepta, tot nationes ac regna, tot regiones atque imperia perluſtrauerint, aliquando videamus, huc oro vos Aud. animos aduertite. Ergo cum in humanis illis corporibus, vitam quaſi Deorum primi parentes imitarentur, illis nihil erat aliud viuere, quam cogitare. Quibus ſane cogitationibus, cum plurima quotidie quæ ſenſibus obuerſarentur, diligenter obſeruarent, atque eadem iam animo comprehenſa, recta quadam intelligentiæ ratiocinatione colligerent, perennes

nes illos artium ac doctrinarum fontes aperuerunt: qui cum renaſcentium ſubinde memoria poſterorum amplificarentur, augerentur experimento, atque ipſis literarum monumentis diffunderentur, meritò in immenſum liberalium omnium artium oceanum excreuere. Sed (quando ita miſeri ſumus, vt vel ipſam felicitatem contemnamus) primus ille naturæ noſtræ parens, diuinæ ſapientiæ ſimulacrum, nobiliſsimæ ſuæ conditionis oblitus, in ipſo circumfluente voluptatibus paradiſo, quis crederet? acceptam à Deo Sapientiam, peccati labe ita fœdauit, vt eiuſdem poſtea rudem tantum atque adumbratam imaginem retineret. Quamobrem ex ipſo deliciarum domicilio diuinitus expulſus, cum ſumma rerum quas antea cognouerat, ignoratione teneretur, & ſemina quædam ſuæ præſtantiæ ſeruaret adhuc; aſsidua intelligendi cupiditate ſuccenſus, dulci illa rerum maximarum recordatione vexabatur identidem, & ſecum ipſe querebatur calamitatem ſuam. Quamobrem cum incredibili pene labore permulta quotidie perſcrutaretur, ſenſuum ope, corporata & aſpectabilia comprehendit, quæ vero ſub ſenſus non cadunt, animo & cogitatione conſecutus eſt: Atque vt ſuos filios, quos diuina priuauerat, humana ſaltem imbueret ſapientia, diſciplinas illas à ſe perquam ſapienter excogitatas, iiſdem liberaliter impertiuit. Hæc igitur prima diſciplinarum elementa, cum à parente filij quam facillime didiciſſent, ea ſanctiſsimi viri ſanguine perfuſa, fratris ille proditor infamis, in Orientem quò confugerat, primus tranſtulit: ibique Vrbem illam Hanoch longe clariſsimam à ſe conditam filij nomine decorauit, quæ longa deinde poſterorum ſerie, & Politicæ rerum publicarum adminiſtrationis parens, & prima Muſices, & armorum palæſtra fuit. Sed nobilis illa diuerſarum diſciplinarum cognitio, quam plane naſcentem ampliſsimæ ſolis orientis regiones exceperunt, cum iam adulta, ad quendam quaſi iuuentæ florem perueniſſet, vlterius peruagata (vt cum Poeta loquar) diſperſit cum ſole manus, ac totum pene terrarum orbem occupauit. Sethus quippe Adami filius, & doctrina patris imbutas & ſua, nimium quantum diſciplinas illuſtrauit. Hic videlicet Aud. ſeptem planetis primus nomina impoſuit: & à parente cum audiuiſſet, hominum ſceleribus vltorem Deum, communem aliquando interitum immiſſurum, ne tot laboribus comparata diſciplinarum ornamenta, vel incendio deflagrarent, vel aquis obruerentur (videte per veſtram fidem Aud. hominis erga literas incredibilem amorem) celebres illas in Syria columnas extruxit, lapideam vnam, lateritiam alteram, in quibus diſciplinas omnes ab Adamo inuentas à ſe autem excultas & auctas, diligenter inſculpſit. Hunc itaque virum longe præſtantiſsimum, nobili nepotum ſerie Deus feliciſsimum fecit, quorũ princeps meritò fuit Henoch ille, qui à Deo in Cœlum ſubductus, non ſolum doctrinas omnes mirum in modum amplificauit, verum etiam Aſtronomiæ primus elementa conſtituit, & Angelo magiſtro vaticinia conſcripſit: vt non immeritò deinde Græci hunc Atlantem putauerint, atque Aſtrologiæ principem finxerint. Iam vero quid de Noë commemorabo Patres, qui rerum ignaris, quampl urimarum quoque fabularum

princi-

principium fuit? Scitum enim eſt, huius viri memoria ira percitum Deum, mortalium ſcelera, diris illis aquarum eluuionibus expiaſſe. Cum igitur veram eius rei cauſam ignorarent Aegyptij, Phœnices, Græci, Romani, varijs illam fabularum inuolucris populis declararunt. Etenim alij Prometheum, alij Deucalionem, Ogygem alij, alij Saturnum, alij denique Herculem, Noè fuiſſe tradiderunt. Verum (quæ mortalium flagitioſa natura eſt) cum ſe ſe natiuum in locum aeterni Numinis imperio flumina recepiſſent, nequiores auis poſteri, breui redierunt ad ingenium. Ac primo quidem, cum inter ſe Chamus & Semus fratres, imperium orbis ex æquo diuiſiſſent, Africa quam nactus erat, minime contentus ille, Syriam, quæ Semo contigerat vniuerſa, bellatoribus longe fortiſsimis aggreſſus, vi expugnauit, & ſub tyrannide regnum habens, Dei cultum & ſapientiam, mortalium primus contempſit: Atque vt omnes homines impietate ſuperaret, ignem veluti numen Chaldæis adorandum propoſuit, grauiſsima ijs propoſita pœna, qui nouum illum Deum non venerarentur & colerent. Sed auum longe nequiſſimus, nepos inſignite improbus Nimrod excepit, qui cum armorum potentia regis ſibi nomen vſurpaſſet, Babylonem (quæ prima fuit Aſſyriæ dominationis origo) regni ſui caput conſtituit. Hoc igitur Aſſyriorum imperium, vniuerſis Aſiæ deuictis debellatisq. regionibus, mirum in modum protulit Ninus. Nam cum Babylonij Deo ita volente, Niniuem illam ciuitatum omnium ſui temporis plane reginam bello ſuperaſſent, Babylonem, vrbem ſecundum Niniuem celeberrimam, doctrinas omnes Babylonij victores vna cum imperio tranſtulere. Sed inter varia diſciplinarum genera, quæ à Niniuitis accepere Babylonij, vna potiſſimum illis in amore, atque in delicijs fuit Aſtronomia: Sic prorſus, vt iure Populorum omnium dicti ſint primi qui ſapientiam adamauerint, atque omnibus partibus abſolutam ſyderum cognitionem ſint conſecuti. Hinc videlicet natum eſt Aud. vt cum ſumma ſtellarum, orbiumq. cœleſtium cognoſcendorum cupiditate tenerentur, turrim illam inſana murorum ſtructura celſiſſimam (quam Deus olim ſermonum varietate irritam plane fecerat) quam ſæpiſsime conſcenderent, vnde videlicet melius ac propinquius aſtra contemplarentur. Quæ quidem turris Poetarum carminibus decantata, Gigantum fabulæ, Iouem è Cœlo detrudere molientium, locum fecit. Huius igitur diſciplinæ cognitionem eximiam, Sacerdotes illi Syderum contemplatores (quos non ſine gloria, patrio nomine Babylonij, Chaldæos appellauere) mirum in modum colebant, Aud. Sed cum Belus Babyloniorum Rex potentiſſimus, conſequentibus annis, bellum ingens Aegyptijs intuliſſet, atque vniuerſam Aegyptum armorum diuturnitate domuiſſet, multos Aegyptiorum Sapientes (neque enim Aegyptum literarum ornamentis nudam inuenerat) ſecum in patriam duxit, qui nouis illis diſciplinis ſuis, imperium longe glorioſiſſimum Babyloniorum fœdarunt potius, quam illuſtrarunt. Babylonij nanque (ab Aegyptijs fortaſſe morem illum edocti) ſuas illas ſyderum obſeruationes Hieroglyphicis literis, hoc eſt, ſacris rerum imaginibus, in lapidibus exprime-

bant.

bant. Cæterum vt huiuſmodi ſyderum cognitio,longe, lateq. propagaretur, primus illam è Babyloniorum finibus, Beroſus Chaldæorum peritiſſimus in Græciam aſportauit, adeoq. ſibi diſciplinarum auidos, Athenienſium deuinxit animos, vt ei ſtatuam,aurea lingua publice conſecrauerint. Iam vero quid de ipſius Hiſtoriæ principio à me in medium proferetur Aud? Quis enim ignorat Hiſtoriam inter Babylonios natam, ab ijſdem non ſolum vitam, ſed etiam gloriam æternitatemq. ſuſcepiſſe? etenim illi cum Regum ſuorum, hiſtoriarum monumentis præclara quæque facinora conſignarent, de ijs poſtea philoſophabantur. Verum (quando me veſtra Patres inuitat humanitas, & erga literas amor ille quò flagratis eximius) ampliorem literarum propagationem intueamur. Nondum florentiſſimum Aſſyriorum imperium deciderat Aud. cum vel ipſo imperante Nino Semiramidis filio, Abrahamus ille, vir non minus ſanctitate nobilis,quam ſapientia præclarus, floruit. Hic videlicet Aud. impiam illam ignis idolòlatriam vt effugeret à Deo monitus, patriam deſerens, Cennaham petijt: quo ſane loco dominatores Phœnices,Aſtronomiam à Babylonijs acceptam perhumaniter docuit. Verum Abrahamo florente, floruit quoque Zoroaſtes ille Rex Bactrianorum Sapientiſſimus, ſed longo terrarum interuallo diſiunctus: à quo omnes quotquot fuerunt, Indorum, Aethiopum, totiusq. Solis orientis philoſophi promanarunt:qui cum Aſtronomiam quoque ſummo ſtudio coluiſſent, Ethicam tamen ac Phyſicam,omnium principes inuenere. Sed neque Phœnicum gloriam tacitus præterire poſſum Aud. qui Aſtronomiæ ab Abrahamo acceptæ,à ſe mercatorijs computationibus inuentam Arithmeticam addiderunt. Nam cum hieroglyphicis quoque literis vterentur, ab Hebræis vera literarum lineamenta, vel ipſo artifice Deo in tabulis concinnata ſuſceperunt: quas tandem è Phœnicibus primus in Græciam Cadmus intulit Aud. Verum cum ex Aegypto tandem aliquando patriam Iſraelitæ repeterent, atque in itinere Phœnicum Ciuitates deuaſtarent, Phœnices in Aegyptum aufugerunt; ſecumq. diſciplinas à Patribus acceptas adferentes,vlterius progreſſi, vniuerſam Africam tenuere: quam non ſolum diuerſis extructis ſuo nomine Ciuitatibus, verum etiam amplo Mauritaniæ Regno ibi condito nobilitarunt: atque Atlantem eius imperio Phœnices præfecerunt, qui ob eximiam Syderum cognitionem, Cœlum Poetæ ſuſtinuiſſe commenti ſunt. Ergo nauigatione pollentes Phœnices profugi, varijs caſibus acti diuerſa Regna cum condidiſſent, in illa peregrinam ſuam inuexère Philoſophiam. Itaque Carthaginienſium in Africa regnum Dido condidit Aud. atque imprimis Carthaginem illam, quam Regina plane Sapientiſſima, varijs Philoſophorum ſcholis ac diſciplinis illuſtrauit; Thebanorum, in Græcia Cadmus: qui cum ob amiſſam ſororem Europam,Delphos, de illa percontaturus oraculum,ſe contuliſſet,ibi Numinis iuſſu Thebas fundauit, quas ijs plane diſciplinis imbuit,quibus vniuerſa Græcia conſecutis deinde temporibus ſibi nominis immortalitatem comparauit: Quas etiam Cadmi diſciplinas,ac literas, quippe præclaras ac nobiles, meritò primus è Græcia tranſtulit in Ita-

liam

liam Euander. Iam vero cum vniuerſum pene terrarum orbem fames inuaſiſſet, Abrahamus vt illam euitaret, Aegypto conceſſit, vbi ſane cum illos alia multa, tum præſertim Arithmeticam, cuius omnino rudes erant, edocuit. Quam Aegyptiorum deinde ſapientiam, Ioſephus ille vir Sanctiſſimus, quippe qui regnum adminiſtraret, maximopere locupletauit, dum varia diſciplinarum gymnaſia, variosq. Sacerdotum ordines, ad literas excolendas inſtituit. Cæterum (quod humanarum rerum proprium eſt, vt caducæ ſint, vt breues, vt miſeræ) Aſſyriorum illud imperium longe maximum, Aegyptiorum potentiæ tandem ceſsit. Nam Seſoſtres Orbis domitor potentiſsimus, vniuerſas pene Solis orientis, occidentisq. prouincias occupauit: atque Oſiride Rege Duce, cum totum orbem peragraſſent ac debellaſſent Aegyptij, quidquid vbique didicerant in Aegyptum retulere; tantoq. philoſophiam ipſam amore proſecuti ſunt, vt maximis honoribus illuſtrarent eos, qui philoſophiæ partes omnes bene coluiſſent. Hinc nimirum accidit Aud. vt alij res phyſicas, alij Syderum errores, Magiam excolerent alij, alij Ethicam & Politicam, alij denique diligenter hiſtorias exercerent: Atque vt melius Cœlorum conuerſiones, aſtrorum curſus & recurſus contemplarentur, proceras illas pyramides excitarunt. Multa quoque ſunt Aud. quæ fuerunt ab Aegyptijs excogitata, inter quæ Geometria potiſsimum & Medicina collocatur: quarum primam Democritus, alteram Hyppocrates in Græcia principes coluerunt. Eam igitur Aegyptiorum diſciplinam Philadelphus Ptolemæi filius, tamquam ſuperſtitioſam, pietati à ſe reſtitutam tranſtulit Alexandriam, quæ varijs deinde temporum calamitatibus Aegyptiorum Sapientiæ ſepulchrum fuit. Quid vero de Moſè nunc dicam Aud. qui diſciplinis illis, quibus ab ipſa filia Regis imbutus fuerat, ſuos erudiuit? Quid de Græcis ipſis, qui ſcientias omnes è diuerſis locis diligenter acceperunt? Non ne Pythagoras & Plato Brachmanum & Iudæorum inuenta græco ſermone expoſuerunt? Quid attinet hoc loco dicere quid ab Aegyptijs acceperit Orpheus, quid Lycurgus ille, quid Solon, quid ipſi denique ſeptem Græciæ Sapientes, qui dulce doctrinarum nectar ex Aegypto cum hauſiſſent, eo demum Græciam omnem aluerunt. Quas peregrinationes Pythagoras non ſuſcepit, vt varia ſibi diſciplinarum ornamenta conquireret? Quos terrarum tractus, quæ montium iuga, quas Caucaſi niues, quos maris æſtus magus ille Tyaneus non ſuperauit, vt nudos illos Gymnoſophiſtas aſpicerent, & Iarcham Regem in aureo throno ſedentem de natura motibusq. Syderum diſſerentem audiret? Sed parum ſibi feciſſe videbatur Sapientia, ſi cum iam Babylonios, Phœnices, Aegyptios ſuo lumine decoraſſet, Perſarum quoque fines atque imperium non illuſtraret. Etenim illi tandiu Babylonicæ Sapientiæ fontes incorruptos hauſerunt, quandiu Zoroaſtes ille non fuit, qui vniuerſam plane ſapientiam ſuis ſuperſtitionum ſceleribus fœdauit. Verum quicquid anteactis illis temporibus diſciplinarum fuit, totum id, nobiliore plane modo Græcia tandem obtinuit. Etenim illa vnum adepta mortalium omnium Sapientiſsimum Ariſt. vnica huius Sapientia, cæteras

orbis

orbis partes facile ſuperauit, & doctrinarum omnium magiſtra fuit. Hæc olim ſuos admirata Platones, Socrates, Homeros, ac Demoſthenes, facem Sapientiæ cæteris prætulit; Hæc omnibus doctrinarum ac literarum ornamentis inſignitos extulit Nazianzenos, Baſilios, Chryſoſtomos, Athanaſios: Hæc tandem cum quaſi cumulum ſcientiarum omnium collegiſſet, ROMANAE POTENTIAE venerabunda tributum exoluit. Hinc vidit ROMA quoque Tullios, Catones, Antonios, Virgilios ſuos, & conſecutis temporibus conſpexit Ambroſios, Gregorios, Hieronymos, Auguſtinos, Leones, Bernardos, Bonauenturas, atque è cœlo plane delapſum Thomam ilium Aquinatem literarum gloriam, Italicæ nobilitatis eximium lumen, Philoſophorum denique ac Theologorum omnium quotquot vnquam fuere præſtantiſsimum, aliosq. permultos, quibus hodieq. mirum in modum illuſtrata gloriatur, quaſi hanc peregrinationibus illis ſuis metam, tandem aliquando Sapientia conſtituerit. Quæ quidem eo glorioſius & præſtantius hic triumphat, quò nobiliorem in animis veſtris Patres optimi locum habet: dum eam ſiue in ipſa Iuriſprudentia, quâ nihil habet Vrbs hæc prius atque antiquius, ſiue in Philoſophia, ſiue in ipſa Theologiæ contemplatione colitis. Huius tū Sapientiæ fulgoribus, IVLI BENIGNE vir ſapientiſsime animum illum tuum quaſi gemmis illuminaſti, dum tot annorum curriculo, in Romana hac literarum luce Iuriſprudentiæ partes omnes tanta cum dignitate coluiſti. Viuet, viuet illa tua in omnes homines, non minus nominis quam morum profuſa benignitas, & lumen illud doctrinæ tuæ, cum ipſa vitæ integritate de dignitate certabit. Nec minus prudentiam veſtram Patres ornatiſsimi dilaudamus, dum quotquot ſumus omnes aſpicimus, ad virtutum ornamentum, ad literarum propagationem, atque ad ampliſsimi huius gymnaſij decus, publicis à vobis ſtudiorum gubernaculis admotum DIOMEDEM VARESIVM, virum vt paucis multa complectar, vere Romanum. Cum igitur ea fuerit literarum dignitas & origo, vt Deum ipſum authorem habuerint, tantoq. eas amore proſecuti ſint homines, vt eas non ſolum adepti ſint, ſed etiam vbique terrarum propagauerint, Quid reliquum mihi nunc eſt, niſi vt orem obteſterq. vos iuuenes, vt quando in ipſo Sapientiæ theatro, Sapientiæ triumphos admiramini, ad paria facinora veſtros animos conuertatis? Ardua quidem Sapientia res eſt, ſed quæſita laboribus, inuenitur. Illam, nonniſi percuſſum ſecuri, Iouis caput enititur, & armata, nos ad pugnam euocat, coronam gloriæ ſtrenue dimicantium frontibus impoſitura. Etenim quæ maxima ſunt, maximo quoque labore comparantur. Id quod vel ipſa natura magiſtra didicimus, quæ pretioſa gemmarum ornamenta, in occultis illis terræ venis ac viſceribus ideo condidit, vt ea nobis acciderent cariora, quæ nonniſi laborantes inueniſſemus. At quid pretioſius, quid illuſtrius, quid ipſa Sapientia præſtantius? quid, quod magis labores conatusq. noſtros requirat à nobis Aud? Agite igitur & quando PAVLI QVINTI PONT. OPT. MAX. tantam atque auguſtiſsimo eius animo plane dignam in literis fouendis propagan-

diſq.

diſq. virtutibus liberalitatem intuemini: quando, tam egregia Patrum Sapientiſsimorum veſtigia feliciter impreſſa conſpicitis, ad glorioſum illud iter, eorundem doctrina duce & veſtro comite labore, mentes animoſq. conuertite. Erit,erit mihi credite Iuuenes optimi tempus illud, cum ex iſta laborum veſtrorum ſatione plenam honorum meſſem tempeſtiue colligetis, cumq. ex illis bene iactis virtutum veſtrarum ſeminibus erumpent germina gloriæ, flores immortalitatis. Tunc enimuero decora Sapientiæ purpura conueſtiti, par erit vt exclametis, ò bene ſuſceptos à nobis, ò fortunatos labores.

A. M. D. G.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE